Spectatiss^{mo} Dn^o

Quod praesenti Hagae cum essem officio defungi eo quod domi non esses haud
licuit, absens defungi cogor. Invenient apud te veniam praeter spem praeterque
opinionem ex improviso discedendi quae mihi injecta fuit necessitas, simulque
ab innata tibi in obvios quosque benevolentia ex facili id me impetraturum
confido, ut importunitatis impudentiaeve apud te literae meae notam
effugiant, cum non circa me meave, sed circa communem nobis amicum,
cognatum mihi, totae occupentur. Nequid te morer, Jacobus Berkelius
(quod ingenui est) plurimum tibi cum debeat, et plura debere cupit:
totum munus hoc tui est quod et antequam mortalitatem ponerer
atque Halassici apud Hornanos collegii quaesitor, ab illustrissimo Prin
cipe oretenus, praefato commendatus fuerit collegio, et postmodum
etiamnum geminatim iterata commendatione habitus fuit inter illos,
qui defuncto quaesitori successores non immerito designari possint. Nunc
Spectatiss^{me} Dn^e quantum ex commendatio ipsi gratiae, quantum ami
corum, quantum denique studiorum ~~tu~~ contulerit; Quin adeo firma atque
omnino indubia spes ipsum tenet, fore ut si obtinere impetrandoe
illud queat, uti Illustriss^{mus} Princeps literis ipsum commendatitijs clemen
ter ornare dignetur, quo nomen ipsius et eorum adcenseatur nominibus
e quibus fato functo quaesitori eligendus est successor, omnino fore
optatissimum ad exitum negotium hoc perducturum, tot praecipue in
ipsum studijs votisque conspirantibus. Quas hic tuas esse Spectatiss^{me} Dne
partes cognatus desideret ipse vides, quid possis hac in re non ignoras, quid
velis abunde jam antea nunc compertissimis testatus es beneficijs. Accedat
ad illorum cumulum et hoc postremum, habeatque a te cognatus meus ut
sibi ereptum immatura morte tot tantorumque in rempub. meritorum ~~virum~~
virum, optimum sibi patrem lugeat, neque eius in remp. benefacta, ex ani
mis erasa, ac ne filio quidem proficua doleat, quicquid venturum ferat ille tibi
acceptum totum illud quod nunc honoris ambit expectatque, soliqui effica
cissimae intercessioni tuae deferat omnia quaecumque sollicite conquisito
favore consequuturum se confidit. Nosti ipse beneficia (quod in paroemia
est) beneficijs ne perpluant esse obtegenda, et quanquam nullus
hic a perpluvio ac ne impluvio quidem sit metus, rogo tamen quaeso
ut vota ac preces cognati mei, de apud principem qua vales secun
des gratia, imo et praevenias. Sic et vota tua exoptatissima adusque
praeveniat superetque felicitas, sic optatissimus felicissimusque coeptis tuis

121
D 11
nr. 26

© Koninklijke Bibliotheek
121 D 11, nr. 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0575

adsit eventus, sic te Constans meritaque semper fama prolixusque bonorum
omnium quaquaversum comitetur favor. Vale Amstelodamo pridie
Kal. Januarias CIↃ IↃ CXXIX.

Tuus ex asse ipsi ac mancipio
C. Barlaeus.

Theodorus C.

© Koninklijke Bibliotheek
121 D 11, nr. 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0575

© Koninklijke Bibliotheek
121 D 11, nr. 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0575

3

Ed. Erntfeste achtbare wyse voorsienige
hooggeleerde heere
Myn Heer Constantin Huygens Ridder
Raed ende Secretaris van syn Pr. Ex.tie in
's Gravenhage.

© Koninklijke Bibliotheek
121 D 11, nr. 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0575